

1794.  
DISSERTATIO HISTORICO-  
POLITICA

40.

De  
FATIS IMPE-  
RIORUM

Quam  
Aspirante Divini Numinis gratiâ

et  
Consentiente Amplissima Facultate Philosophica, in  
inclÿta SALANA,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

CLARISSIMI

DN. JOHANNIS SCHLEMMII

Bonarum Artium ac Philosophiæ Magistri, Fau-  
toris ac amici sui ætatem colendi,

*Bonorum ac Cordatorum examini  
submittit*

Hanns Henrich TIMÆUS,

AUCTOR & RESPONDENS.

ad d. Augusti,

Anno clō lōc LXIV.

Loco horisq̄ue consuetis,

---

JENÆ,

Typis JOHANNIS VVERTHERI.

ist. miscell.

215,38



DISSERTATIO HISTORICO-  
POLITICA

FAMILIARITÄT

RIORUM

Aspirant Divini Nominis Status

Compendium ad Historiam Politicam

THESE

CLARISSIMI

D. JOHANNIS SCHNEIDERII

Prof. Publici Historiae Politicae Magistri, etc.

ADUS

ANNO 1777

IN

LEIPZIG





CAP. I.

Continens Fati originem, varias de eodem sententias ejusq; descriptionem generalem.

§. 1.



Atum dum describimus, Benevole Lector, & ab eodem varias dependentes rationes Rerumpublicarum, nè turberis quæsumus ipso nomine sic satis invidioso. Argentarius scorias ab auro separat, quid non candidus quisque æstimator omne id, quod superstitionem atque ethnicam redolet indolem, à vero & genuino usu discernat inque sua referat ac digerat penuaria. Sanè divinam dari in rebus humanis providentiam tam certum est, quàm esse Deum, adeoque hujus multa eaque haud spernanda licet vestigia reperire, quæ tamen & in Rerumpublicarum mutationibus sedulo observare, indagare, tanti majoris erit momenti ac pretij, quantum Respublica membris singulis civitatis antistat.

§. 2. Tale autem (α) fatale quid in ruinis civitatum interdum, docente τῷ πᾶσι nostro Conringio, reperiri, non credimus diffitendum, modo Fati vox aut castigetur, aut ex Christiana fidei consuetudine explicetur. Saltem enim ex Oraculis Hebræorum Prophetarum abundè constat, mutationibus rerumpublicarum divini quid subesse; imò verò usque adeò manifestum est, ut non tantum omnes totius terra populi hic cum primis divinam providentiam agnoverint, sed etiam ipsimet parci alioquin religionis cultores præter humani vim consilii arcanam aliquam fortunam, sibi tamen constantem, & quasi coactricem, adacti sint profiteri. Quò autem magis arcana ac recondita hisce vis subest, eò etiam altioris ac majoris indaginis res erit, præsertim cum aliorum Mercu- riali quasi statua destituamur, quæ nobis hærentibus rectam.

α) Cöring. Disp. de mutat. rerump. § 71. An. 1635.



commonstret viam. Hoc igitur sub initium rectè pensitantes,  
β) Horat. atque ex monitu Principis illius Lyricorum (β) ritè conside-  
de arte rantes  
Poet.

————— quid ferre recusent  
quid valeant bumeri —————

ferè pedem retraxissemus, nī freti æquitate Lectoris primis  
quoque hâc in materiâ sic satis arduâ ductis lincis æqui boni-  
que consulentis.

γ) Conr. Disp. de ortu & mutat. regn. §. 44.  
§. 3. Rem igitur ut ab ovo ordiamur, Rempublicam non  
uno eodemque modo suas subire mutationes, præsupponimus.  
Etenim interdum illæ à *causa quadam supereminenti & natu-  
ram excedente*, nonnunquam à *causa naturali*, interdum verò à  
*morali* oriuntur & procedunt. Hæ sunt, quæ ab hominum ipso-  
rum ingenio, moribus, affectibus, mutationis suæ arcesunt o-  
riginem. Illæ, ut verbis Magni illius viri (γ) paucis multa expri-  
mamus, *sunt sublunares omnes, quæ naturalem & efficientem  
causam mutare possunt in melius seu deterius*. Ictas vero, quas  
naturæ causam superantes diximus, cum à solo Dei Numine  
proficiscantur, facilius licebit mirari, quàm rimari. Hæc pa-  
rens rerum stupendarum rationem omnem humanam transcen-  
dentium: Hæc non nisi radiis ab effectu deductis certò ac in-  
fallibiter oculis sese ingerit nostris, quam proinde Politices  
gnari *Fati* nomine insignire voluerunt, rati ob occultam & in-  
explicabilem, quam hic deprehenderunt vim, absque tamen in-  
evitabili quadam necessitate, multam cum recepta significatio-  
ne affinitatis intercedere.

δ) Autor lib. de mū- do c. 7.  
§. 4. Quippe cum ii, qui à vera Dei cognitione lapsu tem-  
poris desciscere, alios quærentes suæ salutis auctores, Deum  
à diversis effectibus, (δ) quorum specimen ipse edidit appella-  
re, sicque ex uno plures facere incipiebant, à majoribus forsitan,  
quæ voluntate Dei consequente decreta non mutari ac rescin-  
di posse accepissent, sed eadem inevitabili filo decurrere, statim  
immutabilitati huic sua attribuerunt cognomina, eamque *Fati*  
nomine appellarunt, salutarunt ac adorarunt. Deinceps autem,  
quia posteri eorum semper ad deteriora vergentes indies plu-  
res sibi fingerent Deos, deque iisdem plenè ac planè sibi per-  
sua-



ivasum haberent, immutabile pondus placitis ipsorum omnibus ipse, quæ & conjuratus nominis divini hostis sub specie Deorum suorum loqueretur, oracula illa κατ' ἐξοχὴν *Fata*, à *Fari* scilicet, quod loqui s. dicere denotat, & est à *Græco* φάω, ut & φάτης & φάτις, appellarunt.

§. 5. Hinc etiam ortum traxit, quod *Fati* vox pro *morte*, *infortunio*, *calamitate*, aliisque consimilibus, usu fuerit receptum; quia credebant, non aliter per oracula & eorum voluntatem decretum esse, quàm ut hic vel ille tali moriatur genere lethi, quàm ut hoc vel illud subeat infortunium; quemadmodum hoc ex monumentis Ethnicorum suâ luce radiat.

§. 6. Varias quoque post hæc *Fatum* appellationes accepit, utpote quod *Anance*, *Imarmene*, *Pepromene*, *Mæra*, *Nemesis*, *Adrastia*, *Aesan*, *Parca* (quamvis illi non nihil discriminis cum his intercedere videatur) nominatum fuerit; quæ omnia nobis libro de mundo, qui nutante doctissimorum (ε) iudicio non tam certò Aristoteli adscribitur, recensentur, cujus verba quanto magis vocum origines ac causas appellationum, doceant, huc adscribere haud pigramur: Οἶμα ἢ καὶ τὴν Ἀνάγκην, ὅτι ἀλλότι λέγεσθαι πλὴν τούτου, οἷον ἀκίνητον ἔσιαν ὄντα. Εἰμαρμένη δὲ, διὰ τὸ εἶρεσθαι πρὸ καὶ χωρεῖν ἀκωλύτως. Πεμπρωμένη δὲ, διὰ τὸ πεπερατώσθαι πάντα, καὶ μηδὲν ἐν τοῖς ἔσιν ἀπειρον εἶναι καὶ μοῖραν μὲν, διὰ τὸ μεμερίσθαι. Νέμεσιν δὲ, διὰ τῆς ἑκάστω ἀνεμῆσεως. Ἀδράστειαν δὲ, ἀναπόδρασον αἴτιον ἔσσαν καὶ φύσιν. Αἴσαν δὲ, αἰετὸν ἔσσαν. Τάτε ὡς ταῖς μοῖραις καὶ τὸν ἀτρακτὸν, εἰς τούτου πρὸς νότον. Existimo autem *Anancen* non aliud dici, quàm hoc ipsum, puta *immobilem naturam*: *Imarmenem* autem, à connectendo & procedendo sine impedimento: *Pepromenen*, eò, quod omnia circumscribat ac terminet cuncta, nec aliquid in rerum natura termino cariat: *Mæran*, quod partita sit: *Nemesis*, à facta unicuique distributione: *Adrastian*, quia causa sit immutabilis secundum naturam: *Aesan* denique, quia sit semper. Jam quod de *Parcis*, & de *Faso* proditum est, eodem etiam quodammodo pertinet. Cæterum cum nostrum non sit diutius *Nomenclaturæ* & *Synonymis* inhærere, avidum lectorem ad penam omnis reconditæ literaturæ, (ζ) *Vossii* puta *Theologiam Gentilium*, hic re-

ε) *Voss. l. 2.*  
*Idololatr.*  
c. 45. § 549.

§l. 2. c. 74.



metimus, ubi hæc satis eleganter ac eruditè persequitur.

§. 7. Nos hinc ad varias variorum de Fato Veterum sententias transimus, quas eò majori industria colligendas existimamus, quò majori nisu partim à veteribus celatæ, partim etiam à junioribus vel in pejorem nonnunquam, aut meliorem fuere partem interpretatæ; tum ut eò melius sententia nostra appareat, & à reliquis divellatur. Qui igitur aliquod agnovere Fatum, (I.) illud posuere in solis naturalibus idque universis, sic ut eorum nihil non fatali fieri dicerent necessitate; qualis Pythagoras ejusque complices, uti hoc ex Stobæo (η) & Plutarcho (θ) abundè constat. Alii (II.) inter quos Stagirita noster familiam ducit, Fatum pariter quidem naturalibus adscripserunt, sed tamen ita, ut hæc non subter Lunam (uti ex Chalcidii (ι) verbis liquet) se extenderet, ratione individuorum quatenus talium, sed ratione universalium s. specierum. Atque cum hæc universalium directione optimè posse stare Dei potentiam, quæ nunquam sine suo frustratur, nec non liberum hominis arbitrium, opinabantur; quemadmodum hoc ex non uno Aristotelis loco potest evinci.

§. 8. Porro (III) *Chaldaico Mathematicum* sese nobis offert Fatum, quod ab iis, qui se hujus Fati gnaros profitebantur, nomen sortitum est. Tales autem erant *Mathematici*, uti eos vocat Seneca in *ἀποκολονόωσι*, item Tacitus l. i. *Histor.* nec non *Chaldaei*, primi auctores, qui non ex artis, sed ex gentis vocabulo, ut Cicero (κ) ait, *nominati*, diuturnâ observatione siderum scientiam putantur effecisse, ut prædici posset, quid cuique eveniturum, & quo quisque Fato natus esset. Fundamenta sua hoc Fatum jecit in veterum Astrologorum frivola opinione, qui verâ Dei cognitione destituti, radiantia sidera Deos esse asserabant, unde & aliàs *Astrologicum* vocatur. Distinguitur autem hoc à plur. Reverend. Dn. Danhauero (λ) in *rigidius & mollius*. Hoc est, quod illæsa libertate humanâ ex inclinatione siderum, secundum Ptolemæum (μ) procedit. Hic enim non semel professus, *sidera quidem inclinare ac disponere hominem, at non dirigere*, quod hoc facultatis potentioris, voluntates nempe, cui nulla inferatur necessitas. Illud vero, quo omnes actus humani

etiam

η) *Ecl. Physic. c. 8. & 9.*  
θ) *l. i. de placitis Philosoph. c. 28.*  
ι) *in Timæum Plat. p. 345. edit. Leid.*

κ) *l. i. de Divinat.*

λ) *Hodorum. Calvin. Phantasim. 3.*

μ) *de Astr. judic. l. i. c. 4. text. 24. & 35.*



etiam voluntarii cælo determinanti & inevitabili necessitate subjiciuntur, uti Bardesanes Syrus & Priscillianistæ constanter docuerunt teste Augustino, & quidem de his lib. Hæresium c. 8. de illo l. eod. c. 35. De hoc autem tenendum est, quod, quando veteres Theologi Fatum impugnarunt, ut plurimum (quanquam & interdum de Stoico loquantur) hoc Chaldaicum seu Astrologicum atro notarint carbone. Hoc dilucidè confirmat Augustinus (v), quando ait: *Nulla fieri Fato dicimus, quoniam Fati nomen, uti solet à loquentibus poni (i. e. in constitutione siderum, quâ quisque conceptus & natus est) quia res ipsa inaniter asseritur, nihil valere monstramus.* Confer. idem l. 5. c. 1. ejusd. operis. v) l. 5. de civit. Dei c. 9.

§. 9. Et hoc igitur rem suam sibi habere jussu, accedimus (IV.) ad *Stoicum*, quod quidem cum non nihil differat à Chaldæo illo, utpote quod res omnes necessitati alligat, in capite tamen conveniunt, quia utrumque arbitrii aufert libertatem. Etenim secundum Chrysippum (ξ) *Εἰμαρμένη ἢ πεπερωμένη ὅτι φυσικὴ σύνταξις τῶν ὄλων ἐξ αἰδίου, τῶν ἐτέρων τοῖς ἐτέροις ἐπακολουθῶντων, καὶ ἀπαρβαίνουσα τῆς τοιαύτης συμπλοκῆς, i. e. Fatum est naturalis compositio universorum ab aeterno, mutuò sese consequentium immutabili ac inviolabili hâc complicatione, vel ex interpretatione Agelliana, Fatum est sempiterna quædam & indeclinabilis series rerum, & catena volvens semetipsâ sese & implicans per aeternos consequentia ordines, ex quibus apta connexa qz est.* Hoc iterum dividunt in *rigidius* ac *mollius*. *Rigidius*, imò rigidissimum, volunt, quod non solum actus humanos omnes, sed & divinos, imò Deum ipsum, ferreis caularum vinculis quasi includebat, & eundem omnipotentem ac includi nescium servum necessitatis fingebat, uti ex Philemone (ο) constat. Aliud autem *mollius*, quo & divina voluntas & humana libertas à fatali modo fuerit exempta, & delinquendi culpa sorti humanæ ejusque naturæ sit adscripta, ita tamen, ut ἐλκυστικόν πῖ ἢ vim coactricem quandam ab intrinseco contineret. Sed veremur, nè hæc mitior sententia dictis aut eorum factis adversetur. vid. sæpius citatus Vossius l. 2. de Idolol. c. 49. cui hîc libenter herbam porrigimus, ubi egregiis pariter rationibus dictum Fatum eludit ac elidit. ξ) l. 6. c. 2. ο) ib. de provid. c. 5.



§. 10. Cæterùm, ne in limine forsan justò diutius hærea-  
mus, siquidem omnium discrepantium sententias ex professo  
hic tradere nostri non est operis, brevibus adhuc (V) Platonis  
sententiam subjungemus. Hanc autem quod attinet, nemo non  
confireri necessum habet, præsertim si consideret, quæ ab Alcino

(π) c. 26. (π) Plutarcho (ρ) aliisque de eo referuntur, ipsum sic Fatum mo-  
e) l. 1. de deratum esse, ut actibus humanis nullam eripuerit libertatem.  
plac. Phi- Etenim quatenus Stoici affirmabant, Fatum esse rem quandam  
los. c. 27. divinam in natura, eatenus quidem consentiebat; nullam ta-  
men adamantinam necessitatis catenam huic subnectens, ad-  
σ) l. 5. Po- cò, ut qui ipsum in censum Stoicorum simpliciter rejiciant, ma-  
lit. c. 12. ximam illi inferant injuriam. Quippe, laudato Alcino testante,  
τ) Cōment. statuit quidem, *omnia esse in Fato, sed non omnia Fato decreta*.  
in Aristot. Imò Plutarcho auctore loc. cit. *Fatum, ipsi erat connexus causa-*  
υ) l. 2. do- *rum ordine contentus, quo etiam concludantur ea, quæ à nobis fi-*  
Etrin. Po- *unt: ut sic alia haberi debeant Fatalia, alia Fato non decreta*.  
lit. c. 2. Cæterùm quoniam enthei ille ingenii vir Fatum suum passim,  
φ) Orat. 4. præcipuè quando ad Rempublicam applicat, numeris obscuris  
de annis falsò adscribit & implicat, ut liquet ex Aristotele (σ), meritò il-  
Climact. lud rejicimus cum Piccarto (τ) Arnulzo (υ) Petro Cunæo (φ)  
χ) curs. Kekkermannno (χ) & aliis.

§. 11. Hactenus de multiplici Gentilium Fato. Restat (VI)  
Phil. disp. ut quanam fuerit Christianorum, præcipuè vetustiorum senten-  
35. n. 3. tia, aperiamus. Fuere autem inter veteres, qui in totum nomen  
ψ) l. 5. de Fati rejicere videntur, quia vulgò pro v<sup>i</sup> positionis siderum su-  
civ. Dei c. mebatur, uti ex antea cit. loc. August. liquet: Cæterùm rem-  
47. ipsam, modo si sumeretur pro voluntate & potestate Dei, non  
ω) Homil. rejiciebant, ut Augustinus (ψ) Gregorius M. (ω) aliique. Ast  
10. in Evā- non detrectat idem vocabulum Boëtius (a), quando *Fatum* di-  
gel. cit esse *inherentem rebus mobilibus dispositionem, per quam*  
a) l. 4. de *providentia divina suis queque necit ordinibus.* Alii cum  
cōsol. Phil. Thoma dicebant, *Fatum esse ordinem rerum in rebus per divinam*  
Prof. 4. *providentiam.* Vosio (b) est *nexus causarum secundarum, quate-*  
b) lib. laud. *nus sunt subiectæ divine providentiæ.* Nos ex prælaudato Dn.  
c. 50. Danhauero (c) ita describimus: *Fatum Christianum est series seu*  
c) lib. cit. *connexio causarum & effectuum naturalium, liberorum, fortuito-*  
§. 24.

rum



vum in vita humana, necessariâ necessitate extrinseca, quatenus infallibiliter praescita, absolutè conditionatève decreta, caelitus gubernata, immobilis. Dicitur autem series seu connexio causarum & effectuum naturalium, h. e. nativae inclinationis, indolis, temperamenti, atque hinc exsurgentium, morum ac affectuum. Liberiorum seu voluntariorum, ex viribus seu nativis seu gratia datis. Fortuitorum, respectu nostri; aliàs respectu divini consilii nihil est fortuitum. In vita humana, non solum naturalis, sed & Politica, eaque vel in particulari, ut v. g. unius hominis aut alicujus familiae, vel in universa, totius scil. Reipublicae cujusdam seu imperii. De qua posteriori etiam nostra est exercitatio. Ulteriore dictae definitionis explicationem si quis exigat, sufficientissimè in saepius proximè allegato autore inveniet. Nos ne in prolegomenis simus prolixiores, ad Fati nostri Politici, Imperiorum scil. & Rerumpublicarum, doctrinam nos conferamus.

§. 12. Debet verò Fati hujus doctrina, vulgo scriptorum Politicorum ferè praeterita, utpote quae in mutandis regnis praecipuum dat momentum (d), civilis prudentiae studiosis esse, d) *Contr. de* quam commendatissima, uti eleganter nec minus egregiè Ampliss. ortu & atque Excellentiss. noster Bosius (e) admonet: *Fatum enim a- mutat.* gnoscere, sunt verba ipsius, *Fato se submittere, Fato sua consilia ac regn. §. 43.* commodare omninò debent, quicunque ad clavum Reipublicae se- e) *in Tiber.* dent; sed vero, sed Christiano, s. ut alii vocant, Theologico. *Ec. §. 48.* summus ille vir Boeclerus (f) cujus ut Theatrum Fati luculentissimum pridem promissum, nondum autem rei literariae ad- f) *Differe.* apertum, valdè optavimus, quo ex illo tanquam ex Fonte uber- *de Polit.* rimo hortulos hos nostros aridos irrigare potuissemus) rectè *Lipsii t. 3.* docet: *Verè respectu totius prudentiae fundamentalis est illa cognitio Fati: quippe quae consiliis profunditatem, altui rectitudinem suppeditat: cujusque normam, nisi in majoribus, quae statum publicum concernunt, provisionibus singula sequantur, vacillare necessum est.*

B

Ca.



## CAPUT II.

*Continens I. Fati Politici descriptionem. II. Nicol. Machiav. refutationem. III. Fati dicti eviotionem quoad primordia, conservationem ac eventus Rerump: IV. Imperior: limites. V. Periodos. VI. Regum nomina cum conditore eadem saepe fuisse habita fatalia.*

### §. 1.

**E**Xpedivimus paucis ea, quæ necessariò sequentibus videbantur præponenda; etenim ostensis variorum variantibus de Fato sententiis, & sepositis malignis, expeditiùs nunc progredi licebit. Quo autem & hic ritè procedamus primum *ὡς ἐν ῥύπῳ* Fati imperiorum descriptionem dabimus: Sic vero illud *connexio s. series causarum, mediolorum & eventuum, quibus imperia ac Respublicae saepe praeter omnem opinionem humanam, ac modo nobis impervio, nunc oriuntur, nunc mutantur, decrescunt, servantur, ac intereunt, à Deo praescita, ejusq; providentiâ coelitus gubernata.* Confer. Lipsius in monitis Politicis c. 5. Kekkerm. curs. Philosoph. Disput. 35. Probl. I. Bodin. l. 4. de republ. Arnif. l. 2. Polit. c. 2.

§. 2. Et sanè inter Christianos de origine Regnorum & Regum controversia esse non potest, cum iidem *Deum* omnia creâsse, adhuc dirigere & conservare, plenâ fide profiteantur; adeoque simul Respublicas, regna, & Reges, natales suos, conservationem, imò & interitum debere Deo, infallibili ac indubia veritate asserant: sed ita quidem, ut non rarò manifesta ipsius providentiæ vestigia, eaque nobis comprehensu difficilia, inde eluceant. Inde non immunes nobis ab impietatis crimine illorum videntur opiniones, qui licet superiori luce illustrati, explosa tamen omni Fatorum potestate, ingenio humanisque artibus nihil non tribuunt; quales Carolus Audax Dux Burgundiae, judice Cominæo; & Ludovicus Sfortia, testante illustri Foerfnero. (æ) Quin ex ethnicorum quoque scriptis ac naturali ratione tam evidentissimè id ipsum patet, ut non nisi ab

*im-*

æ) Hypom.  
45. Polit.



impudentissimo ore negari possit. *Quis enim videns tot ac tam  
fabrās nonnunquam Rerumpublicarum mutationes ruinas & in-  
teritus florentissimorum imperiorum, totarum Gentium excidia,  
crederet hæc omnia casu aut consiliis humanis fieri (β)? Deus est, (β) Contr. de  
Deus est, inquit laudatus Förstnerus loc. cit. ille optimus, ille ma- ortu &  
ximus, qui non, postquam terras & sidera fecit, creatorum curam mutat. Re-  
omisit, sed arbiter est ac Rector omnium, quæ gaudet & amat in- rüp. §. 45.  
terdum præter opinionem (non præter rationem) accidentibus re-  
gere ac vel sic ostendere vim illam omnia gubernantem ac regen-  
tem.*

§. 3. Tam manifesta autem hujus rei est veritas, ut nè qui-  
dem Nic. Machiavellus, parcus aliàs Divini Numinis cultor, hoc  
negare sustinuerit: Nam, ut videre est in libro ejus de Princi-  
pe (γ), ex diligenti rerum humanarum observatione, & ingenii γ) c. 25.  
acumine agnovit quidem, deprehendi aliud quid in rebus hu-  
manis & constituendis & gubernandis, præter humanam pru-  
dentiam, aut vires humanas; quid verò illud sit, quod præter  
homines humana omnia moderetur, & quomodo illa rerum  
humanarum moderatio fiat, non est assecutus; Nihilominus ta-  
men, ut nomen Rectori, præter humanam prudentiam, omni-  
um rerum assignet, *Fortunam* dicit: unde haud obscure colli-  
gas, *Fortunam* illum, non Deum, venerari, ceu originem & cau-  
sam per quam validam omnium Rerumpublicarum; ab eadem  
etiam conversiones, adversa quævis & prospera suspendere.  
Nec juvat, quòd in hoc capite etiam Dei mentionem faciat, cum  
id unâ tantum vice in integro capite fiat, *Fortuna* verò omnes  
lineas impleat: Aut si huic loco, ubi Dei mentio injicitur, aliquid  
tribuendum, illum Deum & *Fortunam* pro unò eodemque ha-  
buisse, dicendum. Quod itidem manet absurdum & dictu im-  
pium. Verùm Machiavellum, quem *Fortuna* tanquam monta-  
num flumen (cum hoc enim *Fortunam* comparare solitus fuit, ut  
dicto loco ipse fatetur) ad hanc impietatem docendam præcipi-  
tem egit, ejusque asseclas nihil morantes, firmiter in hæremus  
nostræ assertioni, eamque multò clariorem reddemus, si, quæ  
huc facere possunt, exemplis firmaverimus luculentis.

§. 4. Et quidem, ut ad antiquissimæ ætatis historiam pri-



mum accedamus, quis Medorum exactius considerans imperium, idemque Persicae Monarchiae natales praebens, Fatalem non in hujus ortu deprehenderit manum? Somnium quippe illud, quod ex naturalibus *Filiae Mandanes* (δ) vitem enatam representabat, cujus palmitibus omnis Asia obumbrata tam tenaciter Astyagis menti inhaerens, tantaque solertia inquisitum, quis singulari providentia Dei ipsi immissum negaverit? Quis non infantem tenerum, omni praesidio, praeterquam foeminae canis (ε), destitutum, tam mirabiliter servatum, lactatum, ab injuriis coeli Fato liberatum dixerit? Quis Pastoris uxorem vi aliqua superiori commotam inficiabitur, ut omni materno (quo nil vehementius) amore exuto erga uterinum foetum hunc pro illo exponeret, alterum magno cum periculo in spem suae sortis nutrit, educaret? Et quid sane majoris illius virtutis vestigia firmat, quam hunc adultum, remotis justis adminiculis, tam prompte, tam audacter ad Persas transisse, pectora ipsorum cordata, nescio quam orationis illecebram flexisse, commovisse, incitasse, & quod magis mireris, his tam exiguis ac nondum exercitatis copiis Astyagi perniciem minitatum? Descendit Fato, congregatur, vincit. Ille, qui quondam regio in solio expositus nunc in pulvere jacet submersus, sero demum Fatum a se elusum non penitus tamen elisum agnoscit; hic vero paulo ante inter juvenes pastoritios Rex, credo Fato praeludente, nunc Rex tot populorum salutatur. I nunc, Epicure, & providentiam divinam nega, nobis haec vel hoc exemplo sic satis manifeste animis sese nostris insinuat!

S. 5. Romani porro Imperii si accedamus incunabula, mirabilemque illum variarum Gentium confluxum tam cito tam prosperè, inter se unitum, imò arctissimo societatis vinculo junctum pensitemus, quid, quaeso, aliud quam Fati singularis inde cognoverimus indicia? *Romulum & Remum* fratres in profluenti servatos (ζ), Lupae uberibus nutritos, summae rerum, adhibitos legimus; quidni Fati divini vestigia simul legamus? Undiquaque cincti erant populis, quae antiquo stemmate, quae gloria bellica oppidò insignitis; his vero, Fato frenum iis injiciens

δ) Herod. l. 1.  
 ε) Justin. l. 5. c. 4. s. 6.  
 ζ) Liv. l. 1.  
 Vellej. l. 1.  
 Dionys. Halicar-nass. l. 142.  
 Florus l. 1.  
 Plut. in Romul.  
 Entrop. l. 1.



tiente, eorum incepta, incrementa non evertere datum, ut in-  
tantum (n)

*quantum lenta solent inter viburnā cupressi.*

caput erigerent. Demum autem crescente Urbis Romanae po-  
tentia, vicini populi, qui nascens malum in herba, quod dicitur,  
opprimere debuissent, serò nimis errorem agnoscentes foedus  
inter se pro libertate contra Romanos icere. Quo facto, non  
emendârunt primum errorem, sed altero addito, Romanis, quo-  
rum amicitiam pacis simulatione sibi conciliare potuissent, in  
se cõcitatis, malū non tam prope forsan impendens ultrò accer-  
siverunt. Imò, quo Fatum evidentius agnoscas, nunquam vagi-  
ente adhuc Republicā geminis difficillimis bellis fuere implic-  
ti, ut vel sic tandem hostibus singulatim superatis robur impe-  
rio suo acquirerent. Unde hæc, quæso, illorum felix initiandi  
regni temeritas, beata evehendi imprudentia, perpetuus Fortu-  
næ famulatus, & consultis sæpius feliciores eventus? Fatum sic  
voluit, sic dispensavit, quidlibet sperandi ac incipiendi, se riden-  
te, clarum exemplum.

§. 6. Deinceps si *Mubammedani Imperii* habenas sic satis  
latè hodie diffusas altius paulò repetieris, nec easdem sub initi-  
um Fati hujus ocellis omnino destitutas fateberis. Certè ex  
Latrone (o) Ducem, ex Duce Regem, imò, uti hodie salutatur,  
Regem omnium Regum stupes. Cunas ipsius viles & exiles de-  
prehendis, Canos autem citra omnem opinionem humanam  
terribiles. Quis non colluviem ex perfidis atque palàm facino-  
rosis militibus contractam omni felicitate carituram, imò, Di-  
vinâ vindictâ penitus interituram credidisset: Ast Fato hoc con-  
nivente stetit, quid stetit? humanis cogitationibus majores pro-  
gressus fecit: *Arabiam* occupavit, *Syriam* intravit, *Palæstinam*  
vastavit, postea *Aegyptum* captavit, *Africam* debellavit, imò quod  
in stuporem te rapiat, paulò post trajectis copiis Hispaniam (i)  
occupavit. Et sanè optare licuisset, hujus ut se rabies dictis li-  
mitibus continuisset, sed non sperare: Fractis enim portis By-  
zantii validis latius se diffudit, inundavit *Thraciam*, *Moësiam*,  
*Sclavoniam*, *Illyricum* omniumqve regionum antehac cultissi-  
mam, felicissimam *Graciam*, quæ omnes adhuc sub onere ejus

n) *Virg. Eccl.*  
*log. l. v. 25.*

o) *Paul.*  
*Diac. l. 18.*  
*Cedren. p.*  
*346.*

i) *Sigebert.*  
*Gembl.*



ingemiscunt, & vix spiritum trahunt. De camelis referunt naturarum mystæ, quòd in tantum oneris suscipiant, quantum ferre queant; si autem ultra vires addatur, excutere totum. Faxit cura supremi hujus Fati Directoris, ut, dum bellua ista immanis insatiabili cupiditate omnia ambit, frænum excutiant omnes, & sic de tota sua mole tremenda, non sine ingenti ruina, dejiciantur.

§. 7. Finiamus hoc de ortu Imperiorum Fatum, si modo tribus ex avorum memoria hoc illustraverimus. Pariter enim illud ipsum eluxit in felici constitutione Reipublicæ Belgicæ, cui initium dedere navigia aliquot piscatorum prædatoria duce quidem *Gvilielmo Lumeo Marcia Comite*, ast beneficio *Elisabethæ Reginae Angliæ coacta*, que cum in Batavos excensionem ex improvise facerent, & Insulas aliquot littori prætentas occuparent, ac *Brielam munitissimum in Batavis oppidum* caperent, ad ejus rei famam aliae Insulares urbes violentas Albani exactiones pertasa, & promissa libertatis dulcedine inescata, ad foederatos defecero. Sicque ex tam parvo initio felix primordium Reipublicæ hodie florentissimæ jactum, vid. Jac. Aug. Thua-

x) Genev. nus (x) Histor. l. 50. sui temporis, tom. secundo ad ann 1571. & Edit. pag. 1572.

768. 799.

800. & seqq.

λ) Liv. l. 5.

§. 8. Conservationem autem Rerumpublicarum quod attinget, non minus manifesta in earum protectione, sic fato disponente, reperimus exempla. Sic fatis urgentibus cum Roma à Gallis expugnanda esset, primam bello ansam tres Fabii (λ) subministrârunt, qui, cum de pace inter Clusinos & Gallos acturi, à Senatu missi essent, contra jus Gentium adversus Gallos pro Clusinis prælio decertârunt, atque sic eorum iram contra populum Romanum excitârunt. Porrò quo minus impedimenti objiceretur Gallis, commodum Furium Camillum, vah quantum virum & patriæ vindicem, in exilium Ardeam expulerant. Adproperante dein Gallorum exercitu, civitas, quæ sæpius adversus minores hostes Dictatorem creaverat, hic tamen extremis urgentibus periculis posthabuit. Tribuni famam belli extenuantes, non delectum militum instituere, non ordinare exercitum, non castris circumvallare, non auspiciò aciem ducere,

ccre,



cere, cornua ritè explicare, prout aliàs militaris Romanorum disciplina exigebat. Et, ut summam dicamus, nec milites nec Imperatores munere suo rectè fungebantur. Jactà autem belli aleà hi, vix clamore hostium audito, integri, intacti vasa colligere, terga dare. Et, quod eo magis miratu dignum, in tantum copix distractæ, harum ut maxima pars Veios, minima verò Romam peteret. Haec igitur cum existimaret reliquam omnem casam aut fugà interceptam, nè clausis quidem portis, Romæ in arcem confugiens, unaque assumptis conjugibus, in ea tantum defendenda erat occupata, ad ultimum se dedere parata, si absque vitæ discrimine fieri potuisset. Ubinam nunc vigor ille pristinus, Romane, qui quondam alacriter nec minus acriter per pectora se tua diffudit? Sed, credo, ad eò occaecavit Fatum animos, inque tantas angustias redegit, imposterum, ut in provocandis hostibus cautius ageres. Est autem in orbe, unde tibi subsidium; En fata benevola Camillum, nondum cum patriæ finibus amorem ejus exuentem, servarunt; hinc pristina libertas, hinc in integrum restitutio.

§. 9. Parem in modum quoque memorabilis Fati vis apparet in conservatione perquam notatu digna Reipublicæ Genuensis. Conjuraverat in ipsam Johannes Ludovicus Fliscus ( $\mu$ ) Lavinia Comes, juvenis clarissimâ gente ortus, nil quicquam abjecti spirans, & simulandi artis peritissimus, cum lectissima Nobilium ac militum armatorum manu. Mediâ nocte, silentium indicente Lunâ, res tanti momenti agebatur; portæ occupantur, præsidarii arcis interficiuntur, Auriaca familia extirpatur, & nunc demum ipse comes ad triremes tendebat, in quibus omnis victoriæ spes reposita, cæterò populò libertatem pristinam ambiente & inclamante: Vivat Fliscus! Ast *Fatum Reipublicæ ita tulit*, referente Magno Thuano, *ut mobili ponte quam in triremes transjecturus conscenderat, prolapso, ipse armis onustus, media in victoriâ submergeretur.* Quis non dixerit, vi superiore mediis è faucibus tantam ipsi victoriâ ereptam?

§. 10. Porro si consideraverimus formidabilem illam classem bellicam, à Philippo II. Rege Hispaniæ contra Belgas ac Anglos superiori seculo structam, ac tam brevi spatio disper-

*vid. Nicol.*

*Machiav.*

*l. 2. de Rep.*

*c. 29.*

*( $\mu$ ) Thuan.*

*rom. 1. l. 3.*

*Histor. sub*

*initiū ad*

*ann. 1547.*

*sam,*



sam, fractam; sanè fati hujus in tuendis dictis Rebuspublicis lu-  
 culenta deprehendemus vestigia. Etenim vix orbis tam stupen-  
 dam classem (v) ex CL. navibus admirandæ magnitudinis con-  
 stantem conspexerat: vehebantur his nautarum VIII. & clasia-  
 riorum supra XX. millia, præter nobiles & spontaneos, qui suis  
 sumptibus operam & fidem insigni aliquo facinore regi proba-  
 re volebant: adeò ut rationibus compertum sit, sumptus in-  
 eam factos centies vicies centena millia aureorum superasse.  
 Trepidabatur undique in Belgio, in Anglia ad rumorem tantæ  
 claslis; eòque magis, quia & Parmensis huic se junctura. Ast  
 nullâ prorsus re gestâ ad extrema Daniæ littora propulsa, pro-  
 celloso Africo intonante, tandemque coacta reliquias, circum-  
 navigata eminus Britannia, laceras & cadaveri simillimas in  
 Hispaniam reportare. Vociferabantur actum de Anglia, de Bel-  
 gio; ast *Fato meliora visa.*

§. 11. Eundem ferè in modum Respublica nostra Romano-  
 Germanica tempore (ξ) *Solymanni*, maximis Orientis viribus  
 succincti, ingens fuisset passa decrementum, ni Deus Reipubli-  
 cæ nostræ de Imperatore verè heroicâ virtute prædico prospere  
 xisset. Contra nec Turcarum res salvæ ac integræ ab hoc per-  
 mansissent, ni *Solymannus*, quâ pollebat prudentiâ, rerum sua-  
 rum curam solerter habuisset. Et quis nostrum nescit, quant-  
 opere pro aris focusque eodem ferè tempore inter se dimicârunt  
 dictus *Heros Carolus aug. m. & Franciscus I. (o) Rex Galliarum?* Nul-  
 li animus, nulli potentia ad alterius subversionem deerat; utri-  
 que videbantur digni orbis imperio. Ast propter incursus ex-  
 terorum, propter nutantem hinc inde victoriam, æquo ferè  
 Marte utrinque disceserunt. Sic prima illa causa (π) *per causas*  
*medias variè nexas omnia prudenter, suaviter, utiliter moderatur,*  
 & ferè nostris coeptis res in æquilibrio versat, conservat.

§. 12. Et quid à seculo nostro remotiora sectamur, ipsa quo-  
 que tempora nostra si excutiamus, id abundè evincet. Quis  
 non Neoplitanum regnum à conjuratione *Thoma Agnelli (ε) fa-*  
*to servatum dixerit?* Quis non Angliæ regnum à conjuratione  
 (σ) *Catholicorum contra Jacobum I. Angliæ regem & universum*  
*Parlamentum, ut vocant, quod pulvere nitrato subdito everti*  
 debu-

v) *Tbuan.*  
*rom. I. lib.*  
*80. ad an.*  
*1588.*

ξ) *Sleid. l.*  
*6. & Matt.*  
*Dresf. mil-*  
*len. sexto*  
*Isag. Hist.*  
*Cbytr. l. 9.*  
*Sax.*

o) *Franc.*  
*Gvic. l. 16.*  
*l. 17. & c.*

π) *Forstn.*  
*Hypomn.*  
*Polit. cit.*

ε) *Cluv. E-*  
*pit. Hist. l.*  
*XII. app.*  
*p. m. 856.*

σ) *Tbuan.*  
*rom. V.*  
*Hist. l. 135.*  
*ad ann.*  
*1605.*



debuisset, ab interitu vindicatum, proclamaverit? Quis non Pro-  
 testantes Imperii Ordines ante Svecorum adventum toties pro-  
 fligatos, imminentibus Wallensteinio & Tyllio fulminibus illis  
 belli; Magdeburgo, pulcherrimo illo Germaniæ ornamento, ex-  
 pugnatò, ferroque ac flammâ absumpto, divinitus sublevatos,  
 restitutos asseret? Sanè is rationem omnem humanam exuisse,  
 aut mentem in calcaneo gerere æstimaretur, qui hic superio-  
 rem quandam, eamque fatalem interveniisse vim negaverit.  
*Salve igitur, Fatum, ac fave ulterius, Te ridente, stat, stabit Impe-*  
*rium saluum & inconcussum. Sed manum de tabula.*

§. 13. Descendamus potius ad ea, quæ adhuc restant, exitus  
 nonnullarum Rerumpublicarum fatales describendo. Talem  
 in Carthaginis, Imperii Romani æmulæ civitatis amplissimæ, re-  
 perimus. Superaverat hæc bello Punico II. Romanos quatuor  
 vicibus, eosque eò redegerat, ut arma vix ipsis amplius supete-  
 rent; deerat juvenus in supplementum militiæ; egebat arari-  
 um, imò nobilissimi quique de deserenda Italia cogitabant.  
 Ipse Hannibal tertio ab urbe lapide, quid tertio? *ad portas cla-*  
*mabatur.* \* Asdrubalem præterea fratrem cum novis copiis, iis-  
 que longis expeditionibus induratis, expectabat. Is namque  
 commodum Alpes superaverat, mox se juncturus fratri. Omnes  
 dicebant; *funus mox ibimus Romana Reipublica.* Ast fatum a-  
 gnosce retrahens. Nesciebat Hannibal fratrem in proximo; le-  
 gatos id denunciare volentes alter consulum, è diametro castra  
 qui locaverat ei, excepit, rem omnem cognovit, sicque suis co-  
 piis plurimis clam è castris subductis, necessitatis telo urgente,  
 cum Livii Salinatoris alterius consulis copiis jungit, Asdrubali  
 objicit, ipsoque ad internecionem deletò, capto, capiteque ejus  
 abscisso, in castra quantâ poterat celeritate regreditur, & Han-  
 nibali cruentum fratris caput objicit. Tum hic percussus &  
 consternatus: *Agnosco, inquit, fortunam Carthaginis. quam ve-*  
*rus yates! Fato enim perniciem Carthaginis intendente, non diu*  
*pòst amplissima ac potentissima civitas 700. anno, quam erat*  
*condita, capta & conflagrata. Quis hic aliud occineret, quam*  
 illud

\*) Polyb. l.  
 9. § 11.  
 Livius l.  
 26. 27.  
 Cluv. l. VII.  
 p. 155.

vid. Hor.  
 l. 4. Carm.  
 od. 4.

— — *occulti miranda potentia Fati!*

C

§. 14.



§. 14. Nec ipsa quidem Respublica Romana ex hoc censu subtracta. Somniabant cives ejus æternam urbem & imperium, pro æternitate urbis vota nuncupantes, ludos edentes, victimas

σ) Nicol. cædentes; sed frustra fuere. Cùm enim tempus fatale (σ) destinatum advenisset, ex obscuro quodam angulo orbis terrarum, ubi vastitas feris tantum bestiis habitacula concessisse putabatur, uno momento inusitatum antehac hominum genus, ruens ut turbo montibus cellis (τ), prorupit tanto numero, ut totum terrarum orbem implere videretur. Hinc, veluti clasficum omnes in Romanos cecinissent, Gothi abstulerunt Græciam, Italiam, Hispaniam; Bulgari Daciam ac Mysiam; Vandali Africam; Franci Germaniam & Galliam; Saxones Britanniam; Sclavi Sarmatiam, Dalmatiam, Illyricum; nec multò post Saraceni Aegyptum, Arabiam, Syriam, Chaldæam; Tartari Armeniam, Hyrcaniam; Colchi quicquid inter Caspium & Hircanum mare; Turcæ verò universam minorem Asiam cum Cappadocia, Ponto, Bithynia & reliquis. *I nunc & extolle æternitatem regni tui, Romane; in ipsa nunc Roma, quondam potentia vestra regina, hujus vix umbram invenies.*

υ) Klapm. gina, hujus vix umbram invenies. Usque adeò (υ), ut canit elegantissimus Lucretius (Φ)

de arc. Re-  
rump. l. 3.  
c. 25.

— — Res humanas vis abdita quadam  
obterit, & pulchros fasces saxasq; secures  
proculcare ac ludibrio sibi habere videtur.

Φ) l. 5.

§. 15. Quemadmodum igitur civitates & regna cùm sub initium cùm sub progressum & denique eventum fata sua haud obscure agnoscunt: Ita etiam hoc porro dirigente fit, ne inter illas confusio oriatur, ut plerisque imperiis etiam maximis sui fatales quasi termini sint præfiniti, ultra quos feliciter progressi & potentiam suam extendere nequeunt, quæ terminorum & limitum definitio ab Apostolo (χ) *ἀποφραγή* dicitur.

Pol 37.

χ) Act. 17.  
v. 26.

§. 16. Assyrii certè & Persici Monarchæ terminum habuerunt fatalem Hellespontum, angustum illud fretum, Asiam ab Europa determinans, non procul à Constantinopoli. Nam quandocumque progressi sunt ultra illum terminum vel Chaldæi, vel Persæ, semper victi sunt. Hunc transgressi Darius Hy-

Herod l 4.  
Justin. l. 2.

stalspis, & Xerxes, re infectâ, & magnis cladibus acceptis, intra

fata-



fatales limites revocati sunt. Hac de re ait Polybius (ψ): Persarum quibusdam temporibus magnus principatus & magna potentia fuit, sed quotiescunque transgredi Asiae terminos ausi fuere, non sub init. in principatus solum, verum etiam in proprii capitis periculum inciderunt, sic ut cum Asiae limitibus & imperii eorum limites possuisse liquidò Fatum videatur.

§. 17. Tertiam Monarchiam, quæ primordium in Alexandro, ob res præclarè gestas cognomen Magni indepto cœpit, si exactiùs consideremus, confitemur quidem hunc haud exiguam partem Europæ, nec spernendam Asiae, sui fecisse juris: Sed in tanta ejus aviditate regnandi, quâ huc Orientem, illuc Occidentem spectabat, & certos ipsi fatales limites suprema illa Majestas collocasse videtur. Hinc nè vestigium quidem in Africa, præsertim si Aegyptum Asiae ex mente quorundam veterum connumeremus, reliquit: imò cum copias in Aegyptum ipsam mitteret, tantâ cum difficultate omnium rerum exercitus fuit colluctatus, ut ipsi necessitas subsistendi injecta fuerit manu fatali. (ω) ω) Curt. l. 4. c. 7.

§. 18. Romani adversus Orientem limites habuerunt fatales Euphratem & Tigridem in Asia, quos quodocunque transgressi sunt, infelici clade suppressi, adeoque fatali hamo quasi retracti sunt. Exemplo sunt Crassus, & Carus Narbonensis Imperator Romanus: quorum ille Euphratem transgressus, Aquilas, natum, suosque perdidit; quin & ipse indignante natura ultimò succubuit: Hic, cum fatales fines transgredi tentasset & ad Tigridem pervenisset, pedem figere mortisque atrocitatem experiri habuit. Imò ne nostris tantùm id stabiliamus, audiamus insuper Cuspinianum (α): Quidam dixerant, in fatis esse, Romanum principem Ctesiphontem non transire: imò Carum fulmine absumptum, quod fines fatales transgredi tentasset. Cecinerant enim Vates antiquissimi Romana arma Ctesiphontem transire nefas esse, & Duces, qui ausi fuissent, pœnas daturus esse. Putant M. Crassum id cogitantem cum exercitu periisse. M. Ulpium Trajanum transgredi ausum, Italiam non repetiisse & quinque provincias trans Tigrim statim amisisse, satiusq; fuisse, iter non tentasse; legiones enim longo labore attrivit & verè consumpsit. Et quamvis victor longius produxerit terminos, tamen non multum profecit. Ctesiphontem



tem cupiens transire, superatò Tygride, Valerianus à Sapore Rege Persarum captus est. Verùm Odenatus Palmirenus, victor Romane Majestatis, Ctesiphontem usq; trans Tygrim pervenit. Carus Imperator exercitum Probi, Sarmatico bello latè victorem, duxit in Persida, hostile regnum vastavit: Seleuciam cinctam Euphrate, quam olim ceperat Aelius Verus Antoninus, expugnavit. Deinde Ctesiphontem petentem & longius progredi volentem vel morbus vel ictus fulminis celo turbido & coruscante absumpsit: Hæc Cuspi-  
 (B) in Car. (B) & simul expressis verbis dictos limites appellat *finis fataliter*  
 cap. 9. *constitutos.*

§. 19. Terminus fatalis versus Septentrionem, cum Romanis, tum omnibus regnis, fuit *Tanais*, & mons *Caucasus*, ultra quem nemo ex Regibus & Monarchis regni & potentiae suae limites protulit. Sic Cyrus, Persarum Rex primus, in vicinia ea à Tamyri victus & ad internecionem ferè ( $\gamma$ ) deletus est; Darius in eadem vicinia adversus Scythas profectus, re infecta rediit. Et de Alexandro M. Plutarchus ( $\delta$ ) commemorat: *Illum non irritatis feris gentibus Septentrionis, portas Caspiae ferratis repagulis obseratas clausisse, ut gentem Scythicam hoc pacto ab Asia aditu arceret*  
 Richt. Ax. Pol. 38.  $\gamma$ ) Herod. l. 1. & 4.  $\delta$ ) in vita Alexand.

§. 20. Quod haecenus monuimus de certis regnorum limitibus, quoad definitum locum; ultra quem fataliter non extenduntur, hoc idem observare licet de tempore. Scilicet & certae temporum mensurae certaeque periodi, ultra quas durare nequeunt, singulis imperiis divinitus constitutae. Id quod apparere potest ex Daniele ( $\epsilon$ ) & Actis Apostolorum. ( $\zeta$ ) Quam multis autem modis inter se diffideant in assignando certi temporis termino fatali Historici, Politici & Mathematici, dici vix potest, nec non nisi ex posteriori ab illis certi quicquam colligitur.  
 $\epsilon$ ) c. 5. v. 21. 26.  $\zeta$ ) c. 17. v. 26.

§. 21. Nonnulli terminum fatalem statuunt regnis & Rebus publicis potentioribus plerunque annum quingentesimum, quem tamen aut numeris aut astris tribuunt, aut causis naturalibus, quod scilicet circa id tempus sexta fermè hominum generatio decurrat, quae magis magisque deflectat ab ea simplicitate, robo-



robore & fortitudine, quâ præditi erant, qui initio imperia ac-  
 quisiverunt ac conservârunt. Regum in populo Judaico succes-  
 sio & gubernatio (juxta supputat. Clar. Helvici) complevit an-  
 nos quingentos à Saulo usque ad captivitatem Babylonicam.  
 Eundem terminum attingit restituta post captivitatem *Politia gen-  
 ris Judaicæ* ab Esdra usque ad Vespasianum Imperatorem. An-  
 nos 520. Assyrii tenuerunt Asiam, postea Medi eam occupave-  
 runt, teste Herodoto (n). Athenarum Imperium duravit à *Cecro-  
 pe* usque ad *Codrum* annos 490. & post hos in Democratiam  
 mutatum est. Totidem annos floruit Respublica Lacedæmo-  
 niorum sub regibus *Heraclidis* à *Lycurgo*, qui eam Reipublicæ  
 formam primus constituit, latis & sancitis legibus usque ad Ale-  
 xandri M. ætatem (θ), sub quo concidit Spartanum regnum, &  
 ferè tamdiu floruit. Annis circiter quingentis ab expulsis re-  
 gibus usque ad Monarchiam Augusti rexerunt Rempubl. Ro-  
 manam Consules, formâ gubernationis mixtâ ex Aristocratia &  
 Democratia. Sed hoc quidem numero illustrando plura exem-  
 pla nolumus afferre; qui vult, ex citatis supra auctoribus ea pe-  
 tere potest, quibus addatur Admod. Rev. Ampliss. ac Excell. Dn.  
 Joh. Ernestus Gerhard. (i)

§. 22. Alii rursus quibusdam regnis tribuunt annum se-  
 ptingentesimum pro termino fatali. Sic Respublica *Carthagi-  
 nensis* septingentos annos stetit, cum à *Scipione*, qui ob id *Afri-  
 cani* nomen indeptus, deleta est: Civile bellum Pompeji inci-  
 dit in annum à Roma condita septingentesimum quintum. An-  
 nis post destructam Carthaginem ferè septingentis, id est, anno  
 sexcentesimo, octogesimo octavo Romam vastavit Totilas Go-  
 thus. Ferdinandus Catholicus devictis & domitis Mauris uni-  
 versam Hispaniam recuperavit, postquam ibi Mauri regnâssent  
 septingentis annis.

§. 23. Sunt præterea, qui dicunt, quædam imperia dimi-  
 dium tantum annorum dictæ periodi exegisse, quia annis 250.  
 tantummodò floruerint, ut ex *Peucero Richterius* (κ) afferit.  
 Hinc Historia docet, *Medorum* potentiam annorum 220. fuisse;  
 Persicum imperium à *Cyro* usque ad *Darium* ultimum floruisse  
 annis 230; Græcorum, annis circiter 250; Romanorum, primam

vid. Bod.  
l. 4. de Re-  
pub. c. 2.

Keckerm.

l. 1. Inst. Po-  
lit. c. 26. &

Job. Chok.

l. 6. Aphor.

Pol. c. 1.

n) l. 1.

θ) Curt. l.

6. c. 1.

i) in Pro-  
æmio Diss.  
Theologic.

Richt. Ax.

Pol. 4.

vid. Car.

Sig. l. 19. de

occident.

imper.

κ) Axioma.

Pol. 3.



Chok.l.c.

mutationem, qua regibus imperium sublatum contigisse quinquennio ante finem dimidiæ periodi, i. e. ab urbe condita, circiter annum ducentimum, quadragesimum quintum.

λ) l. 21. de  
Rep. c. 5.

§. 24. Ulterius & hoc Historiarum monumenta tradere quidam affirmant, quod centesimus annus fatalis sit nonnunquam regnis & Rebuspublicis iisque mutationem afferat: Hæc quoque Periodus Salomonis, Nabonassaris Assyrii, Augusti, Caroli M., Heinrici Aucupis & aliorum posteritati finem, & ut fit, cum imperia transferuntur, mutationes insignes attulit; Jungatur Gregorius Tholosan. (λ) qui refert, quæ singulis centenariis contigere in imperiis mutationes usque ad seculum decimum quintum, cui Chokier d. l. addit eam, quæ seculo decimo sexto observata est mutatio inter potentissimos Europæ Reges Hispaniæ & Galliæ.

μ) l. 1. Syst.  
Pol. c. 26.

§. 25. Tandem notat Kekkermannus (μ) *tricesimo anno plerunque aliam mutationem fieri in imperiis, cum nempe post annos triginta plerunque è sua statione discedant ii, qui antea rebus communibus præfuerunt, & succedant deinde novi, qui intra istos triginta annos adoleverunt, & novos mores sententiasq; Reipublicæ inferunt: Quin & in genere trigesimo quoque anno, vel etiam mediis annis inter trigesimum in Rebuspublicis mutari mores, ve-*

ν) l. 4. de  
Rep. c. 2.  
ξ) in Cata-  
log. Imp.

*stitum, ritus & alia externa.* Qua de re plura Bodinus (ν), Ranzovius (ξ), Richterius (ο), Kekkermannus (π). A quibus tamen non pauci iique prudentiâ & eruditione insignes viri dissentiunt.

ο) Ax. Pol.

1. 3. 4. seqq.

π) Syst.

Pol. l. 1. c.

26.

§. 26. Recensuimus huc usque ex Historiis, regna & Respublicas terminis fatalibus esse obnoxias; & sicubi illa appropinquaverunt, regna aut fuisse mutata, aut everfa. Ast quanquam hæc ita se habeant; nihilominus tamen etiam illud ex lectione historiarum apparet, quod docet experientia, meridies veritatis historicæ, multas Respublicas ac civitates ultra illas periodos durasse, longè plures infra illas defecisse. Accedit, quod nec causæ naturales ad hunc effectum sufficientes sint, nec ea vis numeris aut sideribus attribui possit, prout quidem Plato (ε) suâ alioquin laude haud defraudandus statuit, qui propterea etiam ab Aristotele (σ) atro notatur carbone & refutatur. Jun-

ε) l. 8. de  
Rep.

σ) l. 5. Po-

lit. c. 12.

gatur



gatur Piccarto ad h. l. l. 5. Pol. c. 5. & Cunæus orat. 4. de annis Climatericis. Res itaq; hæc tota incerta, nec debet aut possunt cunctis imperiis, Rebus publicis, aut civitatibus eadem periodi tribui aut assignari. Nemo enim nostrum arcana Dei hisce maximè involuta investigare sustinet. Interim tamen, ut dicamus, quod res est, tenendum (I) quod sicuti divinæ providentiæ natales & incrementa debent imperia, sic & iisdem certos limites ac periodos nullâ humanâ potentiâ superabiles regnantibus præscriptos. Id enim Theologi satis superque sacrarum literarum testimoniis confirmant, petitis ex Dan. (τ) Actis Apostol. (υ) (II) Ex monumentis Veterum liquidò apparere, plurima Regna, plurimas Respublicas iis annorum intervallis, quæ diximus, fuisse everfa. (III) Evincere tamen quoque eorundem annales satis superque, ac nostri temporis experientiam, plurimas civitates, plurima imperia dictas periodos superasse, longius stetisse, imò & quam plurima infra eas concidisse, interiisse; quod & illi, qui aliàs strenui periodorum fatalium assertores, negare non sustinent. (IV) Non numeris eandem vim posse attribui simpliciter, sed hæc plus vanitatis quam veritatis continere. (V) In ipsis exemplis, quæ ab eis afferuntur, sæpè numerum non exactè respondere, quandoque & calculo aberratum esse. (VI) Adeoque rem non omnimodo certam, nec omnibus imperiis eadem intervalla, easdem periodos attribui posse. vid. Cunæus (φ) & Clar. Bossius (χ).

§. 27. Hoc equidem negari nequit, sicuti homines certos suos vitæ terminos habent, *adolescenciam, robur, senectam, mortem*, ita & imperia fixos suos habere ortus, sua incrementa, status, conversiones & occasus fixos; *Cujusque enim; ut ait Polybius l. 6. Corporis & Reipublicæ auctio quadam est secundum naturam, deinde vigor, postea diminutio*; quando verò conversionis cujusque momenta futura sint, nulla doctrina percipi potest; perinde ut certò terminare nemo potest, quem sibi ultimum futurum sperat diem. Præstiterit igitur fortasse, hujusmodi in rebus sobriè dubitare, quam audacter quicquam asserere. Ignorare nos voluit, ut nostri ipsorum, ita & Rerum publicarum sancitos secretius fines, ille qui sanxit, uti scitè nec minus ritè loquitur Kekermannus *Curs. Philol. disp. 35. probl. 1.*

τ) c. 5. v. 21.  
26.

υ) c. 17. v.  
26.

vid. Dan.  
l. 3. Polit.  
Christ. c. 2.  
& 5.

φ) in Orat.  
de annis  
Climat.  
ann. hujus  
seculi 38. in  
Academ.  
Lugd. Bat.  
habita.

χ) in Intro.  
duct. ad  
Resp. part.  
2. c. 7 §. 5.  
vid. Kekerm.  
p. 139.

§. 28.



§. 28. Vanitatem & superstitionem redolet etiam illud, quando affirmant, Nomina Regum ac Principum signa esse fatalia imperiis, & concidere eadem, vel saltem insignem subire mutationem sub Principibus, qui habent eadem nomina, quæ habuerunt Imperii primi Auctores. Persarum regnum sub *Dario* & *Cyro* cœptum, altero *Dario* Codomanno regnante intercidit. Idem accidit in *Macedonico* regno, cujus prima incrementa fuerunt sub *Philippo Alexandri M.* patre; finis sub *Philippo Persei* patre. Libera Roma facta est autore *Lucio Bruto*; in dominationem recidit temporibus *M. Bruti*. *Constantinus M.* Imperii Byzantini fundator fuit, quod eversum atque ad Turcas translatum est imperante *Constantino* ex Familia Palæologorum; & horum uterque habuit matrem, *Helenam* nomine. *Baldwinus I.* ex latinis eripuit Constantinopolitanum imperium Græcis: Græci ab altero *Balduino* receperunt. Primus veteris Romæ everfam post libertatem Dominus fuit *Octavius Augustus*; Ultimus *Augustulus*, cui Imperium extorsit *Odoacer Herulorum* Rex. *Urbano II.* Pontifice Romano Hierosolyma à Paganis recepta. *Urbano III.* recidit in servitutem. Et si quæ plura in Historiis reperiuntur exempla. Ex illis tamen certas imperiorum ruinas velle prædicere, primò superstitionem arguit; secundò contrarium, & sæpius, historiæ evincunt.

### CAP. III.

#### *Proponens signa fatalia Imperiorum, conversionis & interitus.*

##### §. I.

SEquitur, ut de signis fatalibus imperiorum, conversionis & interitus quædam adjungamus. Verùm licet, ut priori capite ostendimus, incertum sit, quando terminus fatalis huic vel illi imperio sit constituendus; id tamen extra omnem dubitationis aleam positum esse arbitramur, Deum mutationi aut interitui alicujus imperii certa signa fatalia ( $\alpha$ ), interdum etiã vaticinia & prophetias, non quidem semper à sanctis, sed nonnunquam quoque à profanis profectas præmittere solere. Solet enim Deus sæpè etiam ex *Bileami* ore veritatem prædicere, Num. c. 24. Ar-  
nif. 1, 2.

*Richt. Ax.*  
*Pol. 18.*



nif. l. 2. Pol. c. 2. Sic paulò ante adventum Hispanorum in *Africam*, Rex *Insula*, quæ postea ex nomine invenientium dicta est *Hispaniola*, idolum *Zenii* consuluit, jejunio quinque dierum obito flagellis laceratus, quid de regno suo post ejus obitum futurum esset. Respondit Dæmon à Deo veritatem dicere, ut alibi sæpè compulsus, *venturos homines barbatos, vestitos, regnum vi subacturos, uno ictu multa corpora gladiis suis dissecaturos, servitute gravissimâ incolas oppressuros.* Quod Oraculum Rex ad placandum Numen carmine comprehendit, quod *Aventum* vocant, ac solenni ceremonia festis diebus cantari voluit. Et proinde multi incolarum, ubi Hispanos primùm adventantes videre, fugâ sibi consuluerunt Oraculi memoriâ. Parem in modum & Sybilla potentiam uno sub Philippo partam, sub altero pessumituram vaticinata erat, memorante Pausania (β), quem admodum & aliàs sæpius libri Sybillini docuerunt Romanos (γ). Sed de hisce in universum notandum, quod nonnunquam potius deceperint, quàm instruxerint.

(β) in *Acho.*  
(γ) *Liv. l. 29*  
*Plutar. in*  
*Camillo.*

§. 2. Cæterùm quo ad scopum nostrum propiùs accedamus, signa fatalia Principatum, Rerum publ. & Regnorum duplici quasi ex fonte promanare adnadvertimus. Vel enim *Natura* vel ipse *Reipublicæ* status talia suppeditat. Illa rudes quoque & plebei quorum pectora nondum politiciori doctrinæ succo sunt tincti; Hæc non nisi prudentes & rerum Politicarum scientiâ instructi prævidere & colligere nòrunt. Nempe ut à priori ordiamur; *Natura prodigia, portenta, Terra motus, aquarum seu fluviorum inundationes, somnia memorabilia*, ad quæ *Cometas & Eclipses* vulgò referunt, dicitur suppeditare. Sed in hisce animadvertendis ac dijudicandis cautè, catè & sobriè versandum; *Amat* quidem, ut loquitur *Ammianus*, (δ) *Numinis benignitas, sive quod merentur homines, sive quod tangitur affectio nostri, hisce rationibus præfagire quæ impendent*; ast vera à falsis, naturalia ab illis, quæ naturæ censum superant, divina à præstigiis dæmonum discernere maximæ est artis. Ludere enim interdum sub involucre horum satagit Divini Nominis rosor & ofor, quo animos hac specie à creatore vero ad creaturas convertat, abducat.

(δ) *l. 21.*

D

§. 3.



§. 3. Quod autem *prodigia & ostenta* attinet, talia sæpius non fuisse vana aut frustranea, sed planè nonnullis Rebus publicis fatalia extitisse experientia Politica evincit; Sic apud Judæos prodigia apparuere tempore *Machabæorum* (ε) acies nimirum in cœlo per quadraginta dies & alia, quæ excisionem

1) *2. Macc. c. 5.* Reip. & Hierosolymorum non multò post subsequutam prænunciârunt. *Marciano* (ζ) Thraci plurima potentia Imperatoria signa nempe aquilæ panis alis leviter super ipsius dormientis corpus vibrantes apparuere. *Bruto* (η) libertate Romanâ nondum omni ex parte collapsâ, paulò ante aciem Pharsalicam lucubranti Aethiops formâ vastâ ac truculentâ visus, qui in ipsius conspectu substiterit: Quærenti autem Bruto quis hominum Deorumque esset, quis ipsum ad se egerit? Respondit, *se esse genium ipsius, mox sibi iterum appariturum in Pharsalicis*, quibus dictis disparuit quidem, sed, ut dixerat, in ipsis campis rursus comparuit, nocte eâ, quæ prælium antecessit, in quo malo ipse genio succubuit, & cum eo tota Romana libertas occubuit.

2) *l. 2. de Civ. Dei.* Ita & Augustinus, (θ) in quadam Campania lata planitie demones pugnantes inter se visos, refert, postque pugnam vestigia hominum, equorum & curruum conspecta, neque multò post subsequutos civiles nefarias acies, imò plurimorum externorum, Gothorum scilicet & Vandalorum incursiones contigerunt. Sed hæc omnia velle congerere nimis esset sive præcii sive laboris, nec nostri instituti. Videatur hic *Plin.* (ι) *Joachim. Camerar.* (κ) & *Gregorius Tholoz.* l. cit. c. 9. in fine.

3) *l. 2. de Ostent.* §. 4. Præterea nec *Terra motus* aut *eluviones aquarum*, spernendas, sed sæpius ingentes ex multorum opinione, denotasse mutationes regnorum, adeoque fatalia quædam fuisse signa, notius est, quam ut hic compluribus stabilietur exemplis. Ut autem unum & alterum more recepto subjiciamus. Quis nescit terræ fragorem ingentem Anno 1605. tellurem *Pælonicam* (λ) concutientem (qui eò magis observandus, quò rariores in tantâ planitie) horribiles insectos belli motus significasse creditum? Cui ignotum, quasnam repentinus & continuus ille terræ motus, (μ) qui anno 1640. Belgium & maximam partem Germaniæ quatiebat, ingentes prælagivisse putaretur.

stra-



strages, & proh! quantas rerum varietates? mutui enim tum  
Protestantium, Svecorum & Cæsarianorum laniatus, variorum  
castellorum cruentæ expugnationes, multorum Ducum ac Prin-  
cipum repentini obitus obrigere, ita ut hic nil aliud, quàm præ-  
nuncius tot ac tantorum armorum hostilium fuisse videatur.  
*Eluviones etiam aquarum sæpius eadem visas prælagivisse, mo-  
numenta historiarum evincunt. Ita frequenter observatum,  
post insolitam inundationem Pegnessi (v) amnis, qui castrum*

v) Richt.

Ax. Pol.

308.

ξ) Georg.

l. 1. v. 481.

*Proluit insano contorquens vortice sylvam*

*Fluviorum Rex Eridanus camposq; per omnes*

*Cum stabulis armenta tulit.*

Eundem in modum & stupendæ inundationes anno 1569. in O-  
rientali Frisia Albani Tyrannidem prænotare videbatur; quem-  
admodum & Visurgis atque Leinæ insoliti tumores anno 1552.  
foedus Principum Protestantium adversus Cæsarianos. Nec  
*somnia omnia, præsertim quæ à supernaturali illa causa prove-  
niunt, rejicienda; siquidem & hæc nonnunquam imperiorum,  
vel subversiones, translationes, vel natales, aut etiam eorum di-  
versitates portendisse, partim ex Assyagis supra indicato & ex*  
ERUCULIS patris *Osmanis* somnio præsagiente filio ex se na-  
scituro maximum imperium; (sicuti hoc ex Annalibus Turcicis  
Lipsius (o) recenset;) partim ex sacris literis abundè constat.  
Cæterum valeant etiam hic, quæ sub initium diximus; pruden-  
ter hæc quidem attendenda, non tamen nimium rimanda.

o) Monit.

& Exempl.

Polit. c. 5.

mon. 5.

§. 5. Denique & huc referre amant *Cometas & Eclipses, sive*  
in Sole sive Luna solito majores. Sic tempore Claudii Cæsaris  
(π) exortam esse crinitam stellam, Cometam puta, referunt,  
quam brevi secuta sit mors ejus & infandissimi Neronis succes-  
sio & crudelitas. Parem in modum, Nerone imperante, cum  
stella crinita, *quæ summis potestatibus exitium portendere vulgò*  
*putatur* (sunt verba Svetonii, (ε)) oriri cœpisset, nobilissimo cui-  
que perniciem destinasse, diras illas persecutiones Christiano-  
rum, defectiones Galliarum, & alia plura prænotasse existimant.

π) Vita

Claudii c.

45.

ε) Neron.

c. 36.



Confimili ratione & Cometam anno 1614. Germaniæ maximo  
 terrore imminentem horrendas secum strages belli Bohemo-  
 Germanici traxisse asserunt; qualia plura stupendis eventibus  
 insignita recenset Joachimus Camerarius & Plinius loc. cit. ut  
 & Gregor Tholoz. dict. lib. c. 6. Nec minùs idem deliquis So-  
 ⅈ) *vid Pla-* lis & Lunæ adscribunt. Volunt enim Eclipsin Solis (σ) stupen-  
 tin. & O- dam, quæ & comparere fecerit stellas in cœlo tam perspicuè ac  
 nuphr. in mediâ nocte, quæ contigerit anno 1197. Balduini Regis Hiero-  
 Pontif. solymitani excidium à Saladino illatum portendisse; uti &  
 τ) *Sleid. l. 7* Eclipsin (τ) tetram anno 1530. indictum Augustam Vindelico-  
 rum conventum & Protestantium Confessionem Carolo V. ex-  
 hibitam præsignificasse commemorant; sicuti talia tantum non  
 υ) *l. 21. c. 7.* innumera exempla Petrus Gregorius (υ) cum dictis antea Aucto-  
 ribus non parcâ sed plenâ manu suppeditat.

§. 6. Sed de hisce observandum censemus, quod licet  
 nonnunquam à Deo adhibeantur, ut prænuncia futuræ proxi-  
 mæ vindictæ & imminentium fatalium mutationum, uti videre  
 est ex Ezech. 32. v. 7. 8. nec non Amos. c. 8. v. 3. quin & nonnun-  
 quam ob innovationes eorum indirectè (φ) vim suam in  
 animis hominum exserant; non tamen ex illis certò quicquam,  
 quemadmodum non ex quovis monstro nato & ex quavis tem-  
 pestate, ominari nos debere. Huc accedit, quòd deliquia Lu-  
 næ ac Solis, nec non Cometæ, ut ex naturali rerum scientia ho-  
 die abundè patet, suas naturales causas agnoscant; hisce verò  
 supernaturalem statim tribuere effectum, & vim ferè divinam,  
 nescio annon aliquid temeritatis, aut superstitionis arguat.  
 Præterea & conjecturis & fraudulentis observationibus niti ta-  
 lia præfagia, experientia ipsa evincit. Sic Astrologi ex conjun-  
 ctione trium superiorum Planetarum anno 1504. (χ) prædi-  
 xerunt illum annum verè fatalem diluvio universali, siquidem  
 signa eadem cœlestia, quæ olim fuerant, cum Noachus ex to-  
 tius orbis cataclypsi solus cum familia superstes humano ge-  
 neri fuit, occurrerent. Et quidem in tantum hæc sententia  
 nonnullorum animis infidebat, ut non deessent, qui sibi aqua-  
 rum perfugia fabricarent. Imprimis Aurelius Tolosus, vir  
 juris civilis peritissimus, parum memor foederis divini, idem

φ) *Tholoz.*  
*l. d. c. 9. n.*  
 23.

χ) *Cunæus*  
*Or. 4. de*  
*annis Cli-*  
*maēt.*

teno



tentabat. Sed in tantum eventus prædictiones eorum frustra-  
tus est, ut, teste haud vulgaris fidei Ludovico Vive, nullus annus  
æquè serenus, nullus æquè faustus & ubertate nobilis fuerit se-  
cutus. Ignorari igitur voluit hæc rerum humanarum arbiter,  
ut animos nostros ad se totum traheret, & ex eo *tanquam prin-*  
*tipe causa* (ψ) *simus suspensi. Observare igitur ea prudentia, scru-* ψ) *Sen. l. 2.*  
*tari superstitio*; uti pereleganter loquitur Kekkerman. dict. curs. *quest. nat.*  
Philos. cit. loc.

§. 7. Hactenus de Externis; Sequuntur nunc *interna fa-*  
*talia signa mutationum Rerumpublicarum*, quæ quasi ex visceri-  
bus earum eliciuntur & deducuntur. Multa autem hujus generis  
huc accersi possent, quæ ut simpliciter talia imprimis ab Aristote-  
le (ω) prudenter exhibentur; sed nos omnè prolixitatem fugientes, ω) *in libb.*  
quædam tantum fatalia recenserebimus. Primum igitur fatale si- *Polit.*  
gnū corruptionis seu mutationis est, *quando publicæ calamitates*  
*non sentiuntur, amplius nec metuuntur, tantumq; securitas & cæcitas*  
*hominum est, ut signa appropinquantium malorum manifestè non*  
*animadvertant, aut animadvertere nolint.* Quippe illud Ammia-  
ni Marcellini (α) verissimum si sobriè accipiatur; *Manum inje-* α) *l. 14. Hi-*  
*ctantibus fatis solere debilitari sensus hominum & obtundi:* Nec *stor.*  
minus Taciti (β): *Quæ fato manent, quamvis significata, non vi-* β) *l. 1. Hist.*  
*tantur.* Tale signum fatale sæpius eminebat tempore captivi- *c. 18. §. 1.*  
tatis Babylonicæ instantis in populo Judaico; ibi omnes commi-  
nationes, minæ frustraneæ, prophetiæ vanæ ac inanes habeban-  
tur, nec quicquam mali propter Messiam ex se nasciturum vul-  
gò sibi persuadebant, vid. Esa. 28. Jerem. 5. 6. & 8. Huc quoque  
pertinet, *si princeps & subditi salutaria consilia negligunt, & ple-*  
*runq; illorum obsequuntur affectibus, qui deteriora suadent, bellaq;*  
*non necessaria movent.* Sic Cræsus noluit audire salutare mo-  
nitus cujusdam Lydi, qui, nè irritaret Persas, luadebat. Hinc se  
& regnum Lydorum evertit (γ). Artabanus Xerxi dissuadebat γ) *Forstn.*  
expeditionem Græcam, sed frustra (δ). Gemino modo cum *in Tac. p. 1.*  
Alexander cum exercitu in Asiam transiret contra Persas, Me- *p. 402.*  
mnon Rhodius, unus ex Ducibus Persicis, Dario svasit, ne dimi- δ) *Herod.*  
cicaretur adversus hostem tam bellicosum, sed ut agri vastarentur, *l. 7.*  
atque ita hostes privarentur commeatu, nè progredi possent;



simul ut bellum à Persis totis viribus in Macedoniam transpor-  
taretur (e). Quod consilium fuisset optimum; sed Darius præ-  
od. Sicul. ferebat consilium cæterorum Ducum, qui svadebant, ut primâ  
l. 17. Bibl. occasione dimicaretur, & ita se & regnū suum fataliter perdidit.

§. 8. Secundum signum fatale Rebuspublicis illud est,  
quando *virtutibus neglectis vitia prædominantur, disciplina & le-  
ges contemnuntur, crebra discordiæ & seditiones civiles excitantur.*  
Assyriorum Monarchiâ proximè, fato volente, ad Medos trans-  
iturâ, Rex ipsorum Sardanapalus muliere corruptior evadebat,  
voluptatibus tantum corporis indulgens, virtutibus posthabi-  
tis; *mollitiæ corporis & oculorum lasciviâ omnes fæminas antec-*  
bat, ut loquitur Justinus (z): Aula quæ virtutis hospitium esse  
debuisset, sceleribus ac vitiis erat inquinata. Romanâ Republ.  
brevi periturâ, herba illa noxia omnigenorum vitiorum, ava-  
ritiæ, ambitionis &c. tanquam in irriguo prato uberrimè suc-  
crescebat, ac paulatim legum vis infringebatur. Nulli Prætori,  
nulli Proconsuli ex lege ulla provincia nisi annuo spatio con-  
cedebatur. Cæterum urgente sic fato Romanorum Cæsari (y)  
novem ferè in annos imperium Galliarum prorogabatur, ut  
ipse demum suis copiis formidabilis toti Reip. Romanæ fieret.  
Quod conspicientes Optimates, rationem Patriæ habituri, va-  
rios varia sentientes, imò in omnia alia euntes comperiebant.  
Hinc fractæ societates, hinc præcipua Reipubl. capita divulsa,  
ut modo hæc à partibus Pompeji, illa à partibus Cæsaris starent.  
Et jam eò ventum erat, ut res non nisi stricto ferro componi  
posset; & ecce, ille cujus copiæ plus quàm duplo Cæsarianas su-  
perabant, fato victus, & sic nominis Romani fortuna totusque  
urbis status immutatus. Poëtæ fingunt fuisse Fatis evertendam  
Trojam ablato Palladio; Ritè palladio, stabat enim, quamdiu Pal-  
las, i.e. Sapiencia & Consilium virtusque obtinebat, ast cum pro-  
terviæ ac omnivariæ libidini se daret, concidit, vid. Bucholz. in  
Chron. p. 271.

§. 9. Tertium signum fatale, mutationes Reipubl. præ-  
cedens, est, quando *Viris Reipubl. minus studiosis, magisq; propria,*  
quàm communi utilitati intentis cura ejusdem commendatur. Ta-  
lis Callieratides Spartanorum Dux in bello Peloponesiaco (θ)  
con-

n) Vellej. l.  
2. Flor. l. 4.  
Orosius l.  
6. c. 15.

θ) Xenoph.  
Hist. Gr. l.  
6. p. 348.



contra Athenienses. Videns enim se imparē futurum iusto  
 praelio noluit se, privatam utilitatem publicæ præponens, eidem  
 subducere, dicens: *Lacedæmonios illâ classe amissâ, aliam parare  
 posse, se tamen sine dedecore non posse fugere.* Sicque tota classis  
 devicta, ipseque Atheniensium manibus traditus est. Quanto  
 rectius & consultius egit Q. Fabius (i) potius ducens etiam sui  
 cum ignominia (ut vulgus hominum censebat) ducere bellum,  
 quàm extremo se suosque discrimini subicere. Hinc etiam elo-  
 gium ipsius æternæ memoriæ ab Ennio hisce versibus consecra-  
 tum:

*Unus homo nobis cunctando restituit rem  
 Non ponebat enim rumores ante salutem  
 Ergo postq̄, magisq̄, Viri nunc gloria claret.*

§. 10. Quartum signum impendentium mutationum in  
 Republica fatale præbent *expilationes nimia, eaq̄, citm necessita-  
 tem introducta, subditisq̄, imposita.* Quippe tantis oneribus pres-  
 si de respiratione solliciti cives, sursum deorsum omnia moven-  
 tes, illis sese subducere tentant. Hoc etiam abundè evincunt  
 exempla; Sic Childerico IV. (κ) Franco-Galliæ Rege nimium  
 tributis subditos melioribus advetos onerante; hi mirum  
 quantum tumultuabantur, jugoque excusso alium Regem, hoc  
 expulso, eligebant. Nec cuique ignotum, quantopere pericli-  
 tata Respubl. Romana, cum plebs Procerum ære alieno pressa,  
 & foeneratorum improbitate exhaustâ in montem sacrum se-  
 cesserat. Actum fuisset de ipsorum salute, ni Menenius Agrip-  
 pa (λ) eâ, quâ pollebat Svadâ flexanimâ populoque gratâ, ani-  
 mos eorum delinivisset, sicque omnes, mutatione tamen insigni  
 factâ, compositos in urbem reduxisset. Ast hodie multi abre-  
 pti arte Machiavelliana tyrannica, eandem imprudenter ad  
 quamvis Reipubl. speciem accommodantes svadere haud dubi-  
 tant, quod *quemadmodum circumspæctus medicus, animadvertens  
 in corpore validissimo sanguinem abundare, venam secare, copiam  
 multitudini nocituram sistere ac moderari soleat, ita quoque prin-  
 cipem, populi medicum, indictionum sculpello privatas opes alio-  
 quin nocituras prudenter circumcidere debere; Et quò magis ex  
 puteo hauriantur aqua, eò salubriores, sic & populos indictio-*  
 nibus

i) Liv. l. 22.  
 c. 15. Eu-  
 rop. l. 3.  
 Florus l. 2.

κ) Machi-  
 avell. p. 796,  
 797. 798.

λ) Liv. l. 2.  
 vid. quoq̄  
 Lips. de  
 Magistrat.  
 Rom.



nibus frequentioribus exercitos feritate deposita mansvescere. Ast quod oppidò fallant ac fallantur, experientia, magno ipsorum cum detrimento, contestatur. Quanto melior Elisabethæ Reginae Angliæ vox: Pecuniam subditorum arcalem inclusam perin-

u) *Lansius de esse ac suis* (u) Vox tantâ Reginâ digna, & quæ semper bonorum Principum menti obversari debet.

opt. parâd. §. II. Quintum mutationis Reipubl. fatale signum hoc opum modo est; quando boni Principes, Viri illustres, pietate, virtute præstando Or. 4. tes & Reipubl. utiles sensim moriuntur. Et quid mirum, demtis p. m. 157. columnis domum collabi, remoto gubernatore navem petire, oleo substracto lumen extinguere? Hoc tempore devastationis Hraëliticæ mox affuturæ contigebat, ita ut (crediderim, Fato singulorum oculos sic obstringente) nemo ferè animadverteret; sicuti de hoc conqueritur Esaias c. 57. Sic Memnon ille, cujus in superioribus mentio injecta, quem ob industriam & peritiam rei bellicæ (v) solum verebatur Alexander, fato ad Mytilenas absumptus, quo maturius ipso Dario se ad bellum accingente de rerum summa statueretur: Sic mortem Josiæ Regis subsequuta captivitas Babylonica; Epaminondæ Ducis, Thebæ funditus deletæ; Ut sicuti telo, si primam aciem perfreris, reliquo ferro vim nocendi sustuleris; sic illo veluti mucrone teli ablato, rei quoque publicæ vires hebetatæ sunt; ut non tam illum amisisse, quam cum illo interiisse omnes viderentur (z).

v) *Diod. Sicul. l. 17. c. 7*  
*Curt. l. 3. c. 1. & 2.*

z) *Justin. l. 6. c. 8.*

Pariter, mortuo Johanne Hunniade & Matthia Rege, Turcæ occupârunt maximam partem Hungariæ, quæ & hodiernum iugo Turcico succumbit.

§. 12. Etenim observandum hic est, Deum, quando magnæ mutationes Imperiorum imminet, plerunque excitare Heroas,

o) *vid. Richt. Ax. Pol. 40.* quibus in evertendis imperiis, novisque fundandis ac extollendis ceu instrumentis utatur. (o) Vocamus autem Heroas, Viros insolitâ & prorsus singulari magnitudine animi, ingenti vigore in-

π) *Exod. 3. 4. & seqq.* credibili, impetu acerrimo, felicitate inusitatâ, auctoritate & gratiâ summâ, deniq; præcipuarum artium promptitudine, ætiusq; effica-

ρ) *Judic. 6. 1. Sã. 17.* ciâ, ad summam rerum effectiorem aptos ac destinatos. Sic Moses inter Israëlitas, cum hi liberandi, Aegyptus verò punienda (π),

τ) *Dan. 1. & 4.* Gideon, cum Midianitæ (ρ); Davides, cum Philistæi coercendi (σ); Cyrus & Darius, ubi Judæi liberandi. (τ) Coercendus erat

luxus



luxus Persicus; mittebatur *Alexander* re & nomine Magnus (v). v) *Justin.*  
Inchoanda erat Monarchia Romana, *Julius Caesar* aderat. Refor- L. 11. 12.  
mationem desiderabat Germania, prodibat *Carolus M.* Hoc *Curt. Ar-*  
quoque seculo, cum fermè geminam expectaret mutationem. *rian.*  
Respublica Romano-Germanica, offerebat se gloriosissimæ me-  
morix Princeps *Gustavus Adolphus*, Heros Svecicus, cujus præcla- vid. *Bæcl.*  
ra & sanguine Regio parta beneficia in nos adhuc hodie deri- de *Heroi-*  
vantur. *cis ingenis*

§. 13. Et quoniam hac tempestate sanè turbulenta ingen- *eorūq; do-*  
tes Muhammedanorum copix nostri Imperii fines infestant, fe- *tibus diff.*  
rinā suā rabię omnia turbant, sternunt, adeò ut nè sexus quidem *spec. c. 2. 3.*  
imbecillioris (à quo tamen natura nos abstinere docuit) mise-  
ricordiā ducantur, sed Christianos ad unum omnes subvertere,  
cogitent; votis Divinum illud Numen, cujus imperio stant ac  
cadunt Respublicæ, calidissimis fatigamus, ut tandem misertus  
suæ Ecclesiæ furore hujus sic satis exercitæ, Viros Heroicā virtu-  
te instruat, ornet, qui ipsorum calida nec minus tamen callida,  
consilia subvertant, conatibus eorum sævis resistent, incur-  
siones validissimas fortiter repellant, imò clade funestā illos oppri-  
mant, prosternant. Sic in tabernaculis sanctis manum ejus vi-  
ctricem deprædicabimus, sic beneficia populo suo exhibita ex-  
tollemus, sic in æternum omnis posteritas ipsum collaudabit, di-  
cendo: *Hoc opus manuum Domini, hoc miraculū (Φ) præ oculis nostris. Φ) Ps. 118.*

§. 14. Et hæc quidem sunt, quæ in præsentī de *Fato Politico v. 23.*  
*ab eoz, dependentibus Imperiorum mutationibus ac signis fatalibus*  
differere sustinuimus. Equidem ac lubentes confitemur, materi-  
am hanc gravem ac sæpius intactam relictam, minori, quàm pro-  
ut par erat, prudentiā politicā (quā non nisi multorū annorū ex-  
perientia suggerit, aut Doctissimorū scientia supplet) à nobis ela-  
boratam: Sed quis eandem ab ingenis nondum maturâ ætate co-  
ctis perfectè exposcet? Rogamus interea B. L. ut hisce conatibus  
nostris primis faveat, & si alicubi titubasse nos animadverterit,  
cogitet & prudentissimis hoc nonnunquam contigisse. Ex lege  
igitur mortalium dextrè nobiscum agat, animo sua reputans;  
In magnis & nonnunquam voluisse, satis esse.

FINIS.

E

Ar-



**A**Rgento nullus color est, nisi splendeat usus;  
Sic nisi lustratis nullus habetur honos  
*Musis*: audenter dum nunc **TIMAEUS** recludis  
Ingenii gazas, quas probat *iste labor*.  
Ecquid praemediter? *patriis insistere chartis*  
*Ordinis*, laudum ritè calore cales.  
*Scandisti* cathedram Sophicam, *scandus* vè secundum,  
Doctis eloquiis culta theatra replens  
*I bone*, quo tua **TE** vocat ars; *TE* nescia *Fati*  
*Fama* vehet pennâ non metuente mori.

*Ita gratulabundus optat Dn. Respondenti,*  
*Inquilino & Amico suo percharo,*

**Christoph. Philipp. Richter / D. Com. P. C.**  
Decretal. P. P. & Collegii Jurid. Ordina-  
narius.

---

**A**D summam Themidos dextro conamine anhelat  
**TIMAEUS** cathedram, ut tandem condebita  
laudis

*Premiaquè & titulos* portet post mille labores.  
Tam pulchris *caëptis* quâ non *bona verba* precemur?  
Prima hæc sunt *præludia*. *Magni nominis imple*  
*mensuram*, & *memori perge inclarescere famâ*.

**TIMAEUS**

*Honorati Cognominis mensuram impleverunt majores tui. Horum insistere vestigiis, perge, Sic prudentia juris ad summa honorum Majorum*  
*Te elevabit culmina*

Hoc vovet

**GUERNERUS ROLFINCIUS,**  
Phil. Med. D. P. P.

De



**D**E *Fatis* dum *Regnorum* doctissima promiss  
Tmemata, censuræ hæc subjiciens publicæ;  
Rem dignam Musis præstas, ut gratuler atque  
Adprecer ex animo, Clare Timæe, Tibi.  
Omen inest facto! *Te mitia Fata sequantur!*  
*Fata benigna fluant! Fata maligna ruant!*

*Nobili atq; Politissimo Dn. Timæo, PræNobilis-  
simo Optimiq; Parentis filio aemulo, Com-  
mensali amicissimo honoris faustæq; gra-  
tulationis ergò facieb.*

Johann Zeisold, P. P.  
Honorar.

---

**L**X Berther ist bemüht/ und weiß  
durch reife Sinnen/  
Der Zeppter / Stand und Nieders-  
fall  
So Sonnenschein als Donners-  
knall/  
Es lobt die Pindus-Schaar diß tapfe-  
re Beginnen/

Und



Vnd rufft ihm freudig zu: Timaeus  
müsse stehen/  
Bis man kein blankes Gold der Kro-  
nen mehr wird sehen.

Aus obliegender Schuldigkeit setzt dieses  
wenige in Eil seinem treuerbundenen  
Freund

Sigmund Heinrich von Bal-  
lenfels.

